



Malta
Classics
Association

MELITA CLASSICA

Vol. 5
2018

*Journal of the
Malta Classics Association*

**Iter III^{mi} ac Rev^{mi} Domini Fabii Chisii Nuntii
Apostolici ab insula Melitensi Romam¹**

Victor Bonnici (Ed.)



Sexta dies aderat, Tauri qua plaustra regebat

¹ The following is a poem published in 1639 by Fabio Chigi, later Pope Alexander VII. Fabio Chigi sailed out of Malta on the 28 April 1639, having served as Inquisitor in Malta since 1634.

Æthereus Titan, Melitæ quum littora linquens,
 Australesque plagas, Arctoi syderis aura
 Germanum uocor ad Rhenum. Fœlicia saxa
 Multiplici, ac tutoratibus circumdata portu, 5
 Hortique Arcesque æternum, faustumque ualete:
 Illustres Equites, metuendaque pectora Marti,
 Tuque o Lascaride senio uenerande Magister,
 Votorum noua quem ratio, ac diploma creauit,
 Tu Frater, tu care Nepos, Ciuæque ualete. 10
 Sic lacrymans ergo Melitæ diuellor ab oris,
 Et me remorum puppis ui ducit in altum,
 Cui sacra designans Nicolai affulget imago.
 Impatiens maris exsommem diducere noctem
 Compellit stomachus, miseroque regurgitat æstu. 15
 Aurora interea Siculas ostendit arenas,
 Vnde onerant naues Cerere, has dixere coloni
 Ad Puteal, notus priscorum Caucana portus;
 Turritum rado Zephyro spirante Pachinum,
 quasque uocant nautæ claras Bindicaris undas, 20
 Et scopulum infami signandum nomine Longi,
 Vnde Vtca immani geminas cum strage triremes
 Abdusisse tumet, Melitensi ex agmine prædam;
 Punica uæ nimium populis infensa Latinis
 Corda! iterum sitiunt nostrorum in bella cruento 25
 Post huma, Barbaricis Libyæ rediuiua carinis;
 Vos mare, uos uenti auersi, uos sydera perdant
 Casu illo exticti cædem miseratus amici
 Dum sociis memoro, plenis feror æquore uelis,
 Atque Syracusia post quintam exponor in urbe 30
 Reliquias tenues proh magni nominis! illic
 Fons Arethusa tuus sordet, uix signa Theatri
 Extant, sola tonat geminatis uocibus Echo,
 Innumeris tellus superest effossa sepulchris,

Exeso oblique sinuatus marmore carcer, 35
Et lapides cæsi, referent nunc usque Tyrannos.
Hospitio excipiunt Patres, uinoque suaui
Me recreant, magna hæc populis, atque unica merces
Postera lux terras aufert: medium ipse tiremis
Occupo, nam centro minor est ex æquore motus, 40
Nec stomachum lædit. Portus, et mœnia paruæ
Augustæ inspicimus, Megaros, Hyblæaque prata
Ardentemque Æthnam: Catinatum, Tauromenonque
Transimus noctu, Phœboque oriente, furentem
Ex arco pontum, uelis, remisque secamus, 45
Dum sociam auerso nauem molimine fluctus
Impediunt; rabidaque tua Zanclea, Charybdi
Posthabita, quarta terris appellimus hora.
Lunata immensum circumdant cornua portum,
Marmoreis domibus Philiberto ornata Sabaudo, 50
Dum regeret gentes, stant summa Palatia Regum,
Ænea prospectum decorant simulachra Ioannis
Austriaci, extrema pertingit Nerea sponda
Fons Parii lapidis; senas hic Mello triremes
Sicelidum Prorex, et rebus magnus agendis, 55
Parthenopem tendens adiungit mœstus amicum
Præcipiti lapsu perculsum linquo, marique
Post geminum Solem, rursus me trado fluenti;
Mittitur, et quoniam regalem nostra Panormum,
Altera me recipit Puppis, quæ nomine claret 60
Diuinæ Matris, sequitur Victoria cursum,
Ambæ armis ualidæ, remis pernicibus ambæ,
Albentesque Cruce: octonæ procedimus una
Soluentes portu bombis, fremituque tubarum;
Per noctem stetimus; præruptum Sole nitente 65
Traicimus Scyllæ monstrum, perflantibus Austris,
Magnasque undanti spargentem uertice flamas

Strongilon; a dextra scopuli, Gioiæque recedunt,	
Euphemique sinus, notum Lametia nomen	
Œnotrijs, miseræ terrarum motibus urbes	70
Concussæ nuper, Ciue et quæ Paulla nitescit	
Ascripto superis, ac terra Lemnide turget.	
Nauseat interea stomachus, refugitque soporem;	
Altera lux oritur; nostro Palinurus ab ore	
Auolat, et littus Policastri, et molle Salernum,	75
Cui tumet hinc sinus, hinc Pæstana rosaria crescunt.	
Menon aura leuis recreat, non læta iacentem	
Scommata, quæ remex, alternaque iurgia fingit,	
Nec placide ludens festiuo simius astu.	
Hesperus adducit Capream, Dicæarchidos arcem	80
Nox fert, a Puteis retinet uicina nomen.	
Septima lux Mai, dum undis exæstuat æquor,	
Dat cymba tenui Baiarum tangere littus,	
Et longam rheda celeri traducere Cryptam.	
Quis labor hic? Vastum montem terebræsse, uiamque	85
In rectum lato sculpsisse in fornice saxi?	
Obscuro, mirum, nullæ sunt tramite fraudes,	
Præterit et tutus quauis cum merce uiator,	
Antrum Relligio seruat, mediumque Mariæ	
Excolitur Numen, paruaque e lampade fulget.	90
Parthenopem nona ingredior; dum tota supellex:	
Atque una famuli pinu uestantur eadem	
Tibridis ad fauces; paucis comitatus in urbe	
Calcidica sisto, membris ut grata uigorem	
Restituat statio. Nequicquam; nuncia mortem	95
Fama refert caræ quondam genitricis; amatos	
Annis bis septem uultus spectare petentem	
Mors inopina rapit: senium, prudentia, mores,	
In Cœlum, pietas, natorum et uota tulerunt,	
Marsiliæ, Senis decus o memorabile, Gentis.	100

Obuius huc nostri Successor uenerat ante
Quæsitor Fidei, Melitam tuto æquore tendens,
Insignis Præsul, Ciuisque huic muneris omne
Committo arcanum, ritusque, et iura regendi.
Non hic Pausilipi collis, non Mergilline, 105
Non cineres Vatum, Græcæ non otia gentis,
Delitiæ ue iuuant: prisci monimenta decoris,
Munitæque arces, et magna incendia montis
Frustra me inuitant. Vna hæc satis anxia cura
Corda premit, matrem amissam, Neritique negatum
Visere despontam, et Sanctæ connubia Mitræ. 110
Quinque dies igitur Sirenum sede moratus,
Hora digredior sexta: lectica nepotem,
Meque uehit, subito Auersam, maioribus olim
Atellam, notam ludis, scenaque iocisque 115
Transimus, Capuamque die inclinante subimus.
Quid non longa potest æui mutare uetustas?
Horret ager, pallent populi, uix umbra potentis,
Ac cineres Capuæ, uastæque cadauera molis
Trunca uides. Isthæc, quæ floruit æmula Romæ,
Annibalemque ferum, Bacchi, Venerisque beatis 120
Deliciis, auroque simul, luxuque subegit,
Nunc prostrata iacet: titulum minor altera seruat
Quæ prope Vulturnum; dimittit Phosphorus unde,
Nec sinit eximii me Præsulis ora uidere. 125
Prandia dat Geticis exin uicina taberna
Mœnibus, ut perhibent, Catanensi a Virgine claris.
Huc sacer Orator casu conuenit, amicos
Currit in amplexus, alternaque uerba profamur.
Insertis teritur restans mox Appia saxis; 130
Minturnas, Marii campos et uidimus udos
Exulis effugium; tacitumque in gurgite Lyrin
Non rate transimus dubia, sed ponte trabali

Edomitum nuper, noctu peruenimus urbem	
Ad Mamurrarum, mutata uoce recentes,	135
Quam dicunt Mollam; cui contra Æneia nutrix	
Caietam statuit portu, celsaque superbam	
Rupe, hic Pontificis uexatas forte triremes	
Tempestate maris, superum ui dicitur usque	
Seruatas; nudi pedibus, lacrimisque precantes	140
Certatim subeunt templis nauta, atque uiator.	
Mane hinc ad Fundos declives labimur, Appi	
Semita quo ducit. Colles stant undique circum	
Aura tepens hortos, et citria poma per annum	
Educat; at campum, casuraque testa colonus	145
Rarus habet; uigili seruatur milite porta,	
Durus ubi exactor uectigal pendere cogit,	
Aurum nec patitur, nec mercem sedulus ultra	
Efferri, redimat ni multa pecunia fraudem.	
Lecticam sexta petimus, nemorumque per umbras,	150
Perque maris littus nona deuenimus Anxur.	
Sublimi antiquum saxo supereminet Anxur,	
Ad læuam spectat Circæi culmina Montis,	
Et refrago expellit spumantem Nerea dorso;	
Nunc Terracina est nomen; plebeia tecta	155
Lustramus, ueteresque ædes, rarumque popellum,	
Ac nimium tragicì quondam monimenta theatri.	
Inde suburbano tenui nos caupo malignus	
Detinet, exiguae epulas, uinumque ministrans.	
Surgimus, et Volsca prognatam gente Camillam	160
Porticibus pictam Priuerni inspeximus; illinc	
Sanguine Romulidum clarus discesserat ante	
Pene horam Præses, scriptis huic mitto salutem	
Fortunam damnans, uetuit quando ora tueri.	
Vndecima attigimus Riuum, quem sæpe uiator	165
Serus init lembo gracili: prope commoda somnum	

- Præbent tecta, Nouas Ædes dixere recentes.
Hinc matutino abscessu lente imus ad usque
Occlusam portam, pretio conuiciæ miscens
Quam reserat querulus, quicumque huc transeat hospes: 170
Et Sermonetæ summo surgentia cliuo
Mœnia cernentes, paruo emptis uescimur escis
Ima taberna tuis. Velitras lectica citato
Ad decimam passu defert, Octauia proles
Olim, Cardinei decorat nunc Purpura honoris: 175
Eminet urbs campis, urbi Prætoria celsa
Stant super, atque foro grandis præfulget imago
Ænea Pontificis, referunt, et carmina laudes
Magne VRBANE tuas ad læuam luce sequente
Cernimus umbrosi speciosæ Palatia Castri 180
Gandulphi, domus o Charitum, sacra otia Musis
Rus BARBERINVM, siluisque uirentia paruis
Stagna lacus puri: post quartam mensa Marini
Detinet, et uolitans lusum dat mitis hirundo.
Ductus aquæ quondam, factum cui Tepula nomen 185
Grande opus, et multis assurgens arcubus alte,
Dirigit ad Romæ portam nos usque Latinam;
Hic sacer Astreæ Præsul currente quadriga
Obuius excipiens caris stipatus amicis
Hospitium donat Clemens, geminatque fauorem. 190

Coloniæ apud Gisbertum Clementem, Anno Domini MDCXXXIX.